

Posito itaque, quod semidiameter Lunæ sit 15' minut. & distantia Lunæ à centro Terræ 64 semidiametrorum Terræ, erit distantia Lunæ 55040 milliarius germ. Unde sequitur; Sicuti (in tabulis Sinuum, Tang. & Sec.) se habent partes Radii 100000, ad distantiam Lunæ 55040 milliarius. sic partes Tangentis 436, anguli 15' min. se habent ad semidiametrum Lunæ, scil. 240 milliarius germ. Quia verò per ult. 12. Euclid. Globi sunt in triplicata

Luna Magnitudinem invenire.

ratione suarum diametrorum, ergò triplicatis diametris Terræ & Lunæ, seu per 19. lib. 5. Euclid. semidiametris, provenient earum magnitudines. Ut ex gr. cubus ex semidiametro Lunæ 240 milliarius germ. est 13824000. Et cubus ex semidiametro Terræ 860 mill. est 636056000. Deinde diviso cubo semid. Terræ, per cubum semidiam. Lunæ, provenient  $46\frac{152}{3827}$  tot vicibus Terra, hoc modo, major est Lunâ.

Tabula Lunæ Magnitudinis ad Terram collatæ, ex subsequentiū Astronomorum hypothefibus.

Terra Major est Lunâ secundum	}	Ptolemæum	_____	_____	40	} vicibus.
		Copernicum	_____	_____	43	
		Tychonem	_____	_____	42	
		Longomontanum	_____	_____	51	
		Keplerum	_____	_____	52	
		Lansbergium	_____	_____	59	
		Mœstlinum	_____	_____	45	
		Bullialdum	_____	_____	44	
		Wendelinum	_____	_____	45	
		Schyr læum	_____	_____	53	
		Ricciolum	_____	_____	43	
Nos, per cap. 22. lib. 5.	_____	_____	55	46		

CAPUT XXIII.

De Solis Distantia à Terra.

Distantia Solis colligitur ex Parallaxi Altitudinis; Verùm hæc parallaxis difficilis est inventu, quia oportet præcognoscere veram Solis altitudinem ex ipsius motu, ut differentiam inter veram & visam altitudinem detegat; Verus autem motus Solis ejusque locus in Cœlo non potest (propter ingentem distantiam Solis à Terra, ad quam distantiam, semidiameter Terræ nullam habet proportionem) ita exactè inveniri, quin ullus in minutiis & secundis defectus occurrat; Ergò alias scalas ad ascendendum & priorem gradum in Luna figendum, invenerunt Astronomi.

Sic Aristarchus Samius Pythagoræ concivis alium modum tradidit, per

Lunæ distantiam à centro Terræ & ejus elongationem ab exacta quadratura, illo tempore quo dimidiata splendet.

Tertium modum invenerunt Hipparchus ejusque instaurator Ptolemæus, quos postea imitati sunt: Albategnius, Regiomontanus, Maurolicus, Maginus, Lansbergius, Bullialdus, qui ad Distantiam Solis mensurandum supposuerunt tria data: Primum est semidiameter Solis, ut & Lunæ apprens; Secundum est Lunæ distantia à centro Terræ per ejus parallaxin; Tertium est semidiameter Terræ apprens in Luna tempore alicujus Eclipseos Lunaris; ex quibus inquiritur per calculum, Parallaxis Solis Horizontalis.

Distan-